

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0064

0062

0068

0058

0073

0053

0113

0013

0163

0563

1063

Ende

Anfang

53

filii Belial accepit illam ecclesiam et domicilium suum eam sibi constituit, et ex ea rapinas exercebat et pertranseutes spoliabat, singulariter tamen omnibus Christianis speciales inimicitias addixerat. Est autem in oriente consuetudo, quando duo in campo sibi obviant, et unus alterum timet, ille, qui desperat se posse alterum vincere, cadit de bestia, et pedes contra obviantem venit, in signum reverentiae, ut sic reverentiam ei faciat. Sic etiam quando exercitus exercitui deferre vult, omnes de bestiis descendunt. Sic quando rex vel princeps et Sarraceni aut Mamalucci nobiles procedunt, eis obviam venientes de asinis prosiliunt, et stant, quousque pertranseunt. Quod si de bestiis non descenderint in praedictis casibus, vi ab aliis dejiciuntur de jumentis cum magna contumelia et molestia. Timebant ergo ductores nostri Arabem illum, ne forte cum complicibus suis in ecclesia latitaret, et erumpentes nos invaderent, praecipue si sine reverentia domum suam pertransivissemus, et ob hanc causam praeceperunt nobis de asinis descendere, et domum istam cum humilitate pertransire, quod et fecimus, licet milites impatientissimi fuerint et cani illi pessimis maledictionibus maledixerint. Ita tamen transivimus, quod neminem in loco vidimus, et hoc pro nobis fuit, quia tam ductores nostri quam nos valde illum Arabem timuimus, ne forte insequeretur nos.

#### De praedicta ecclesia S. Johannis et loci illius sanctitate.

Ecclesia praedicta S. Johannis est satis magna, sed jam profanata per inhabitationem Arabum, qui in praedatione existentes in ea tamquam in loco munito manent. Altaria ejus sunt diruta, et quodammodo forma ecclesiae ablata. In hoc loco dicunt S. Johannem Baptistam populis praedicasse, et cunctis regulas vivendi tradidisse, ut habetur Lucae 3., et ibi Domino Jesu testimonium perhibuisse dicitur, ut dicitur Matth. 1. Insuper in hoc loco stabat Johannes, quando Dominus Jesus venit ad eum, et videns eum digito monstrabat dicens: ecce, agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Joh. 1. Aliqui